

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 201205c

Saturday 05.12.2020

Letter of the Holy Father to the special envoy to the celebrations for the centenary of the archdiocese of Łódź

On 10 October 2020, His Eminence Cardinal Konrad Krajewski, Almoner of His Holiness, was appointed by the Holy Father as his special envoy to the celebrations for the centenary of the archdiocese of Łódź, to be held on 12 December 2020.

The special envoy will be accompanied by a Pontifical Mission, composed of the following ecclesiastics:

1. Msgr. Bodgan NOWACKI, canon emeritus of the Chapter of the arch-cathedral of Łódź, spiritual father of the Light-Life Movement in the archdiocese of Łódź;
2. Msgr. Józef JANIEC, honorary canon of the arch-cathedral of Łódź, confessor of religious sisters and students of the seminary of Łódź.

The following is the Holy Father's letter to His Eminence Cardinal Krajewski:

Letter of the Holy Father

Venerabili Fratri Nostro

CONRADO S.R.E. CARDINALI KRAJEWSKI

Eleemosynario Apostolico

Insignem sane Lodziensem Ecclesiam novimus mox celebraturam centesimam anniversariam memoriam a sua institutione: quae laeta commemoratio profecto causa est ut fideles eiusdem pro divinis beneficiis tot per annorum spatium concessis imo ex corde misericordiae Deo gratias agant simulque, heredes conscii uberis

patrimonii, magis magisque studeant fidem corroborare, communionem fovere et hominibus quovis auxilio indigentibus summa caritate succurrere.

Sicut quondam Decessor Noster Benedictus XV benigne accepit petitionem, ut propter populi salutem aeternam dioecesis Lodziensis institueretur, ita Nos, huius dilectissimae Ecclesiae desiderantes spirituales progressum, libenter volumus favere celebrationibus iubilariis et laudare incepta, hac obviente opportunitate, inchoata sub diligenti moderamine Venerabilis Fratris Gregorii Ryś, Archiepiscopi Metropolitae eiusdem Sedis.

Quam ob rem cupimus illuc uti Legatum Nostrum dignum Patrem Purpuratum mittere ut per eum affectus et aestimationem Nostram Pastoribus et Christifidelibus ibi degentibus ostendamus. Te igitur, Venerabilis Frater Noster, ad honorificam certo hanc missionem explendam aptum arbitramur, qui amatissimae illius communitatis eminens Filius, fidus Noster es cotidianae sollicitudinis de pauperibus et indigentibus Socius uti Eleemosynarius Apostolicus. Ideo nominamus te **Nostrum Missum Extraordinarium** ad celebrandam centesimam anniversariam memoriam a die quo condita est dioecesis Lodziensis, quae interea archidioecesis metropolitana facta est, sed ante omnia, manens in Christo, sicut palmes in viti vera, fert fructum multum (cfr *Io* 15,5), qui sunt tot Sancti, Beati et Servi Dei hoc per saeculum ibidem viventes et operantes. Ex iis autem nominatim memorare cupimus Servam Dei Stanislavam Leszczyńska, praeclaram illius terrae filiam, quae, veluti mater ac obstetrix, etiam oppressoribus in campo captivorum constipationis repetebat numquam licere infantes occidere, quaeque iugiter vitae serviit.

Cum sanctitatis exempla contemplamur, nempe testificationes quae utiles sunt ad nos concitandos et permovendos, studeamus unusquisque suam viam reperire et meliora ex se trahere. Omnes ad testimonium reddendum vocamur (cfr *Gaudete et exsultate*, 11). His verbis vix duos ante annos, credentes ad renovandum continuum sanctitatis studium invitavimus. Quae vero nunc per Te, Venerabilis Frater Noster, ad carissimam Tibi et Nobis communitatem Archidioecesis Lodziensis repetere cupimus.

Die igitur XII proximi mensis Decembris illic vices Nostras ages, praesidebis liturgicis ritibus in cathedrali ecclesia sancto Stanislao Kostka dicata itemque inchoabis celebrationes Anni Iubilariis. In hac occasione omnes nomine Nostro salutabis atque ad renovatum studium apostolicum hortaberis ita ut, vi spei quae ex fide oritur, amore erga Deum accensi eucharistica pietate, actiosa caritate ac tota vita laudes Ipsi praebeant, quoniam in aeternum misericordia eius.

Nos precibus tuam sustinebimus magni ponderis missionem, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae Sanctae Dei Genetricis Virginis Mariae Reginae Poloniae et sancti Ioannis Pauli II, qui eodem anno natus est ac Lodziensis illa communitas, quam etiam uti Supremus Pastor ipse invisit. Apostolicam denique Nostram Benedictionem copiose tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos mitteris profuse communicandam.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVI mensis Novembris, anno MMXX, Pontificatus Nostri octavo.

FRANCISCUS
